

Commemoratio B. Virginis de Carquerá.

Gumpenb. Imag. 602.

Beatae Virginis de Carquerá statua una cum templo repta est infra terram. Nam cum Rex Alphonsus infans in lucem prodiret, distortis fœde cruribus, nec quidquam bellicorum spiritum in eo appareret, ob hunc corporis turpem defectum ejus prefectus Monistius Deipara pro rege suo orationes fudit et lacrymas. Illa per somnum ei apparens jussit terram fodere, dum templum, et in templo statuum reperiret, hisque aris, prius decenter mundalis, imponeret miserum regem. Quo facto regi quam primum pedum naturalis usus concessus, et omnis deformitas ablata. Tu. Te Matrem.

Ad Benedict. ant. Oculi tui, Domina, sint super nos, ut miseraris nostri.

Ad Magnif. ant. Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit.

FESTA OCTOBRIS.

DOMINICA I. OCTOBRIS.

SS. ROSARII B. MARIE V.

Duplex majus.

IN I. VESPER.

Ant. 1. Missus est Angelus Gabriel ad MARIAM Virginem desponsalam JOSEPH.

2. Exurgens MARIA abiit in montana eam destinatione, ut saluaret Elizabeth.

3. Peperit Filium suum primogenitum, et pannis eum involvit, et reclinavit eum in prasepio.

4. Postquam consummati sunt dies purgationis MARIE, tulerunt

JESUM in Jerusalem, ut sisterent cum Domino.

5. Post triduum invenerunt illum in templo sedentem in medio Doctorum.

CAPITULUM. Ecol. 24. 17.
Quasi cedrus exaltata sum in Libano, et quasi cypressus in monte Sion: quasi palma exaltata sum in Cades, et quasi plantatio Rosae in Jericho.

HYMNUS 100. Ex Offic. Ordin. Prædic.

Caelestis aula nantius
Arcana pandens Numinis,
Plenam salutat gratiã
Dei Parentem Virgineum.

Virgo propinquam sanguine
Matrem Joannis visitat,
Qui clausus alvo gestiens
Adesse Christum nuntiat.

Verbum, quod ante secula
E mente Patris prodiit,
E Matris alvo Virginis
Mortalis infans nascitur.

Templo puellus sisitit,
Legique parel Legifer,
Hic se Redemptor paupere
Pretio redemptus immolat.

Quem jam dolebat perditum
Mox laeta Mater invenit,
Ignota doctis mentibus
Edisserentem Filium.

Sit Trinitati gloria,
Quæ sacra per mysteria
Orantibus det gratiam,
Quã consequantur gloriam. Amen.

Hæc Doctol. dicitur ad omnes horas.

ÿ. Ave MARIA, gratiã plena.
ñ. Dominus tecum.

Ad Magnif. ant. Videntes eam filiae Sion vernantem in floribus rosarum, et lilii convallium beatissimar: prædicaverunt, et reginæ laudaverunt eam.

Oratio de Laudibus.

AD MATUTIN.

Invitator. Laudemus Deum no-

strum * In solemnitate sanctissimi Rosarii Beatae MARIE Virginis.

HYMNUS 101. Ex brev. Ord. Prædic.

Te gestientem gaudis,
Te sauciam doloribus,
Te jugi amiclam gloria
O Virgo Mater, pangimus.
Ave redundans gaudio,
Dum concipis, dum visitas,
Et edis, ofers, invenis,
Mater beata, Filium.

Ave dolens, et intimo
In corde agonem, verbera,
Spinas crucemque Filii
Perpessa princeps Martyrum.

Ave in triumphis Filii,
In ignibus Paracliti,
In regni honore et lumine,
Regina fulgens gloriã.

Venite, gentes, carpite
Ex his rosas mysteris,
Et pulchri amoris inclitæ
Matri coronas necite.

Sit Trinitati... Quæ...

IN I. NOCT.

Ant. 1. Concipies et paries Filium, et vocabis nomen ejus Emmanuel.

2. Ecce ancilla Domini: fiat mihi secundum verbum tuum.

3. Undè hoc mihi, ut veniat Mater Domini mei ad me?

ÿ. Benedicta tu in mulieribus.
ñ. Et benedictus fructus ventris tui.

De libro Ecclesiastici.

LECTIO 1. c. 39. 17.

In voce dicit: obaudite me, divini fructus, et quasi rosa plantata super rivos aquarum fructificate. Quasi libanus odorem suavitalis habete. Florete flores, quasi lilium, et date odorem, et frondete in gratiã, et collaudate canticum, et benedicite Dominum in operibus suis. Tu.

ñ. Impleti sunt dies MARIE, ut

pareret, * Et peperit Filium suum primogenitum, et pannis eum involvit, et reclinavit in prasepio. ÿ. Gloria in altissimis Deo, et in terrã pax hominibus bonæ voluntatis.—Et pep.

LECTIO 2.

Date nomini ejus magnificentiam, et confitemini illi in voce laborum vestrorum, et in canticis laborum, et citharis, et sic dicetis in confessione: Opera Domini universa bona valde. In verbo ejus stetit aqua sicut congeries: et in sermone oris illius, sicut exceptoria aquarum. Quoniã in præcepto ipsius placor fit, et non est minoratio in salute ipsius. Tu.

ñ. Postquam impleti sunt dies purgationis MARIE secundum legem Moysi, * Tulerunt JESUM in Jerusalem, ut sisterent eum Domino. ÿ. Et ut darent hostiam, par turturum, aut duos pullos columbarum.—Tulerunt.

LECTIO 3.

Opera omnis carnis coram illo, et non est quidquam absconditum ab oculis ejus. A seculo usque in seculum respicit, et nihil est mirabile in conspectu ejus. Non est dicere: quid est hoc? aut quid est istud? Omnia enim in tempore suo quærentur. Benedictio illius quasi fluvius inundavit. Tu.

ñ. Invenertunt JESUM parentes ejus in templo sedentem in medio Doctorum: * Stupebant autem omnes, qui eum audiebant super prudentiã, et responsis ejus. ÿ. El dixit Mater ejus ad illum: Filii, quid fecisti nobis sic?—Stupebant.—Gloria.—Stupebant.

IN II. NOCT.

Ant. 1. Procidit JESUM in faciem suam orans et dicens: Pater, si possibile est, transeat à me calix iste.

2. Et factus est sudor ejus, sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram.

3. JESUM autem flagellatum tradidit Judeis Pilatus, ut crucifigeretur.

γ. Ego autem in flagellâ paratus sum.

η. Et dolor meus in conspectu meo semper.

LECTIO 4.

Ex Brev. Ord. Prædicator.

Cum Albigensium hæresis sacrosanctæ Matris Dei dignitati potissimum infesta, in regione Tolosatium impie grassaretur, beatissimus Pater Dominicus, qui eo tempore Prædicatorum ordinis fundamenta jecit, in eam hæresim debellandam totus incumbens, ob idque beatissimam Virginem assiduis precibus interpellans, ab ipsâ monetur, ut Rosarium omni mentis fervore prædicet, velut singulare ad evertendas hæreses, et odia extinguenda præsidium. Cœpit ergo deinceps incredibili cum animarum fructu saluberrimum Rosarii institutum per beatum Dominicum promulgari: quem ejus auctorem fuisse, Leo decimus, Pius quintus, Gregorius decimusterminus, et Sixtus quintus apostolicis diplomatis profiterentur. Tu.

η. Plecetes milites coronam de spinis, posuerunt super caput JESU, et arundinem in dexterâ ejus: Et genuflexo ante eum, illudebant ei. γ. Et expuentes in eum, acceperunt arundinem, et percutiebant caput ejus.—Et genuf.

LECTIO 5.

Est autem Rosarium, sive Psalterium, sacra quadam formula præcandi Deum in honorem beate MARIE: quâ per quindecim salutationis Angelicæ decades, interjectâ singulis oratione dominicâ, quin-

decim præcipua redemptionis humane mysteria piis meditationibus percensetur. Inter innumeros porro ejus fructus meritò navalis ea victoria celebratur, quam anno Domini millesimo quingentesimo septuagesimo primo die septimâ Octobris, quæ Dominica fuit, ad Nauticum Achaici sinûs de Turcarum classe longè potentiori christiani Principes reportarunt. Nam cum eo die sodalitates Rosarii solitas preces, ac processiones haberent, eas, piè creditum est, pro christiânâ classe plurimum profuisse. Tu.

η. Cum ducerent JESUM ad crucifigendum, * Sequebatur illum multa turba populi, et mulierum, quæ plangebant, et lamentabantur eum. γ. Filie Jerusalem, nolite flere super me, sed super vos ipsas flete, et super filios vestros.—Sequebatur.

LECTIO 6.

Ex Brev. Rom. Lect. 3. in med.

Quod quidem cum etiâ Gregorius tertiusdecimus testatus esset, ut pro tam singulari beneficio beate Virgini sub appellatione Rosarii perennes gratiæ ubique terrarum haberentur, in Ecclesiis omnibus, in quibus altare Rosarii foret primâ quâque Octobris Dominicâ Officium ritu duplici majori perpetuò celebrandum indixit, quod Clemens undecimus postea eâdem die, eodemque ritu ad Ecclesiam universam extendit. Alii quoque Pontifices Rosarium recitantibus, ejusdemque Rosarii sodalitatibus indulgentias penè innumeras concessere. Tu.

η. Postquàm venerunt in locum, qui dicitur calvaria, ibi crucifixerunt JESUM. * Stabat autem juxta crucem JESU Mater ejus. γ. Tunc beatam illitcs animam doloris gladius pertransivit.—Stabat.—Gloria.—Stabat.

IN III. NOCT.

Ant. 1. Lætare, Virgo Mater, alleluia. Surrexit Christus de sepulchro, alleluia.

2. Ascendit Deus in jubilatione, et Dominus in voce tubæ, alleluia.

3. Spiritus Domini replevit orbem terrarum alleluia.

γ. Emitte Spiritum tuum, et creabuntur, alleluia.

η. Et renovabis faciem terræ, alleluia.

Lectio Sancti Evangelii secundum Lucam.

LECTIO 7. c. 1. 26.

In illo tempore: Missus est Angelus Gabriel à Deo in civitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, ad Virginem desponsatam viro. Et reliqua. Homilia S. Gregorii Neocesariensis Ep.

In Annuntiat. B. V. M.

Angelus Dei jussa in se recipiens, et exequi volens, Virginem adit, et clarâ eam voce compellavit, dicens, Ave gratiâ plena, Dominus tecum. Non amplius diabolus erit contra te: namque antea ubi hostis ille vulnus infixit, illic primùm nunc medicus salutis medicamentum adhibet. Undè mors prodiit, inde vita sibi ingressum paravit. Per mulierem mala fluxerunt, et per mulierem bona emanant. Tu.

η. Sumite psalterium jucundum in insigni die solemnitatis vestræ: * Et exultate Virgini adjutrici nostræ. γ. Assumpta est MARIA in celum, gaudeat exercitus Angelorum.—Et.

LECTIO 8.

Ave gratiâ plena, ne, quòd mulier damnationis exiiterit, erubescas; Judicis nam et Redemptoris Mater eris. Ave immaculata viduali orbis sponsa similis et mater. Ave, quam in tuo utero matris Evæ mortem demersisti. Ave animatum Dei tem-

plum. Ave celi et terræ æquivalens dignumque domoivium. Ave naturæ illius incomprehensibilis capacissimum receptaculum. Tu.

η. Gloria et honore coronasti Matrem tuam, Domine, * Et constituti estis eam super omnia opera manuum tuarum. γ. Posuisti, Domine, super caput ejus coronam de lapide pretioso.—Et.—Gloria.—Et.

LECTIO 9.

Dicitur unâ cum Octav. Lect. si fiat aliqua Comm.

Cumque hæc ita se habeant, adest per eam agrotantibus medicus, in tenebris sedentibus Sol justitiæ, cunctis verò tempestate factis anchora portusque tutissimus. Inimicis et Deo amicis servus Dominus natus est, pacisque viniculum factus, captivis liberatio. Ipse enim est pax nostra. Tu. Te Matrem.

AD LAUDES.

1. Factus JESUS in agonia circumplexus orabat Patrem.

2. Ego in flagella paratus sum: et verecundia mea contra me est.

3. Dum Christus spinis coronatur, Virgo MARIA dirè torquetur.

4. Bajulans sibi crucem exivit in eum, qui dicitur calvariæ locum.

5. Crucifixerunt eum, et duos latrones, unum à dextris, et alterum à sinistris, medium autem JESUM.

CAPITULUM. *Ecl. 24. 17.*

Quasi cedrus exaltata sum in Libano, et quasi cypressus in monte Sion: quasi palma exaltata sum in Cades, et quasi plantatio rosæ in Jericho.

HYMNUS 102. *Brev. Ords. Præd.*

In monte olivis consito

Redemptor orans prociidit,
Meret, pavescit, deficit,
Sudore manans sanguinis,

A proditore traditus
Raptatur in penas Deus,
Furisque victus nexibus
Flagris crucentis caditur.

Inlecta acutis sentibus
Corona contumeliae,
Squalenti amictum purpurâ
Regem coronat gloria.

Molis cruceum ter ardua
Sudans, anhelans, concidens,
Ad montis usque verticem
Gestare vi compellitur.

Confixus atro stilpite
Inter scelestos innocens,
Orando pro tortoribus
Exsanguis efflat spiritum.

Sit Trinitati gloria,
Quae sacra per mysteria
Orantibus del gratiam,
Quae consequantur gloriam. Amen.

† Regina sacratissimi Rosarii,
ora pro nobis.

† Ut digni efficiamur promissionibus Christi.
Ad Benedict. ant. Cum vidisset
JESUS Matrem et Discipulum stantem,
dixit Matri suae: mulier ecce
filius tuus: et deinde Discipulo:
ecce Mater tua.

Oratio.

Deus, cujus Unigenitus per Vitam, Mortem, et Resurrectionem suam, nobis salutis aeternae praemia comparavit, concede, quaesumus, ut haec mysteria sanctissima beatae MARIE Virginis Rosario recolentes, et imitemur quod continet, et quod promittunt assequamur. Per eundem Dominum.

AD PRIMAM.

Ant. Nomen tuum * ita Deus magnificavit, ut non recedat laus tua de ore hominum.

Capitul. de Laudibus.

†. †. br. Regina sacratissimi Rosarii.

CANON.

Ex Gregorio Papâ Decimo Tertio.

Const. Monet Ap. an. 1373.—B. R. Tom. 4. p. 3. pag. 253.

410. Decernimus, ut de cætero perpetuis futuris temporibus quolibet primâ die Domiciæ Mensis Octobris per universi orbis partes, in iis videlicet Ecclesiis, in quibus altare vel capella Rosarii fuerit, ab omnibus et singulis Christi fidelibus festum solemne sub nuncupatione Rosarii, sub duplici majori Officio, celebretur et sanctificetur, eademque die Officium de Beatissima Virgine novem lectionum more ecclesiastico persolvatur et recitetur. Tu.

AD TERTIAM.

Ant. In Domino * gaudebo, et exultabo in JESU Filio meo.

CAPITULUM. Ecol. 39. 17.

O baudi te me, divini fructus, et quasi rosa plantata super rivos aquarum fructificate.

†. br. Gaude te * In Domino semper.—Gaude te in Domino semper. †. Iterum dico: gaude te.—In Dom.—Gloria.—Gaude te.

†. Gaudens gaudebo in Domino. †. Et exultabit anima mea in Deo meo.

AD SEXTAM.

Ant. Vide Domine, * quoniam tribulor, quoniam amaritudinem plenam sum.

CAPITULUM. Ecol. 50. 8.

Quasi arcus refulgens inter nebulas gloriae, et quasi flos rosarum in diebus vernis, et quasi lilia quae sunt in transitu aquae, et quasi thus redolens in diebus aestatis.

†. br. Dolor meus * Super dolorem.—Dolor. †. In me cor meum mœrens.—Super.—Glor.—Dolor. †. Subversum est cor meum in memetipsâ.

†. Et amaritudine plena sum.

AD NONAM.

Ant. Tu es gloriae meae, * Domi-

ne, et exaltans in gloria caput meum, alleluia.

† CAPITULUM. Ecol. 39. 19. Florete flores, quasi liliam, et date odorem, et frondete in gratia, et collaudate canticum, et benedicite Dominum in operibus suis.

†. br. Magna est gloria ejus, * Alleluia, alleluia.—Magna. †. In salutari suo.—Alleluia.—Glor.—Magna.

†. Annuntiate inter gentes gloriam ejus, alleluia.

†. In omnibus populis mirabilia ejus, alleluia.

IN II. VESP.

Ant. 1. Regina caeli lactare, alleluia, quia surrexit Filius tuus, alleluia.

2. Ascendens Christus in altum, captivum secum duxit cor Virginis immaculatam, alleluia.

3. Repleti sunt omnes Spiritu Sancto, et ceperunt loqui, alleluia.

4. Assumpta est MARIA ad aeternum thalamum, in quo rex regum stellato sedet solio, alleluia.

5. Assiit Regina à dextris Dei in vestitu deaurato, duodecim stellis coronata, alleluia.

Capitul. de Laudibus.

† HYMNUS 103. Ex Breve ord. Jam morte victor obruta Praed. Ab inferis Christus rediit, Fractisque culpae vinculis, Caeli recludit limina.

Visus satis mortalibus Ascendit ad caelestia, Dextraeque Patris asidet Consors paternae gloriae.

Quem jam suis promisserat, Sanctum daturus Spiritum, Linguis amoris igneis Mœstis alumnis impluit.

Solutio carnis pondere, Ad astra Virgo tollitur: Excepta caeli júbilo Et Angelorum canticis.

Bissena cingunt sydera
Almae Parentis verticem,
Throno propinqua Filii
Cunctis cœcatis imperat.
Sit Trinitati gloria, Quae...
†. Corona aurea super caput ejus, alleluia.

†. Expressa signo sanctitatis, et gloria honoris, alleluia.

Ad Magnificat. ant. Sanctissimam Dei Genitricem veneremur, ut quae toties Christi fidelibus, Rosarii precibus exorata, terrenos hostes dedit profigare, aeternae infernalis partem superare concedat, alleluia, alleluia.

DIE I. OCTOBR.

B. M. V. DE NURIA.

Simplex.

Oratio.

Subveniat nobis, Domine, quaesumus, piissima Virgo MARIA Montis Nuriae, Spes nostra, et sit tecum de necessitatibus nostris sollicita, quae pro nobis Mater Domini nostri JESU-Christi est effecta. Qui tecum.

Lecl. 1. de Scrip. Feria occur.

LECTIO 2.

In Monte Nuria, in Diocesi Urgelensi Templum est Deiparae sacrum, quod ab eo monte nomen accepit. Sanctam Iconem, quae ibi asservatur, Sanctus Egidius ejus Eremi cultor veneratus est, et ab eo migraturus, in profundoantro abscondit, ubi delituit, donec Sanctus Amadeus celesti monitu è Dalmatiâ ad Nuriam venit, trecentis et septuaginta delapsis annis, et in Sacello in planitie montis structo, ab eo inventam Imaginem pluribus comitantibus signis collocavit. Haec de Nuria Virgo innumeris miraculis percelebris in totâ Hispaniâ, et in vicinâ Galliâ effecta, ingenti fide-

lium accursu frequentatur; at eo solum tempore, quo resoluta nives viam ad eum Montem Mariophilis expeditam relinquunt. Tu.

LECTIO 9.

Commemoratio B. V. de Ceica. *Ex Poireo, apud Loonher Tom. 2. pag. 191.*

In Diocesi Conimbrensi, non procul à Monasterio Lorban dicto, Sacellum est Beatae Virginis sub titulo de Ceica, in grati animi monumentum ob victoriam super Mauros patrolam structum ab Abbate Lorbanensi Monasterii Joanne Avunculo. Alphonsi et Ramirii Regum Legionensium. Sacello addidit parvum Eremitorium, ubi se totum Deo, et Beatae Virgini consecraret. Tunc curavit sculpti à ligno Statuam Sanctissimae Virginis; etsi alii asserant eam Imaginem è caelo eâ formâ missam. Ibi cum aliquot annis sanclè vixisset, mortuus et sepultus est: nec cadaver ulla vi trahi ad Monasterium Lorban potuit. Tu. Te Matrem Dei.

CANON.

Ex Urbano Papâ Octavo. *Const. Considerantes. Ectat in Histor. B. V. de Nuriâ.*

411. Cum, sicut accepimus, in Capellâ Beatae MARLE Virginis de Nuriâ, una Confraternitas instituta existat sub invocatione ejusdem Beatae MARLE..... omnibus ejus Confratribus..... die illorum ingressus..... in eorum mortis articulo..... necnon etiâ in Festivitate Nativitatis ejusdem Beatae Virginis..... plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam et remissionem concedimus. Tu.

Vesp. Sequentis.

DIE II. OCTOBR.

B. M. V. DE SALUTE.

Dplex.

Oratio.

Concede nos famulos tuos, quæsumus, Domine Deus, perpetuâ mentis et corporis sanitatè gaudere, et gloriosæ Beatae MARLE semper Virginis intercessione à presenti liberari tristitiâ, et aeternâ perfrui lætitiâ. Per Dominum.

Lectio. de Scrip. de serâ.

IN III. NOCT.

Sermo S. Amadri Ep. Lausanensis. *Homilia 8. de laudib. B. V.*

LECTIO 4.

Novis triumphis, novâ perditorum creptione, novis populorum incrementis, exultans beata Virgo gratularis in Domino, nec contenta parvis spoliis, sed humanæ salutis cupida, hoste livido longius propulsato, alias atque alias sibi exuvias semper acquirit. Igitur in manu potenti, et brachio excelso, tyrannorum fines aggreditur, inferna sub pedibus suis faciens contremiscere, et principem mortis nimio terrore percussum resistere. Tu. ð.

LECTIO 5.

Denique ipsâ jubente, vehementer evomit prædam, quam cum in ventre malitiæ trajecerat, religens cum dolore quam cum ingenti superbiâ delinebat. Surgunt lapsi: redeunt penitentes: peccator videbit et irascetur. Maxilla ejus hamo dominicæ crucis perforata reddit liberus, quos antea delinuit captivos dentibus suis fremens, et tabescens. Per Matrem Filio, per Virginem reconciliantur Deo, vitæ datî, morti penititùs subtracit. Tu. ð.

LECTIO 6.

Desiderium peccatorum peribit, desiderium verò Beatae MARLE perficitur, quando educantur quotidie vinculatî de lacu miseriæ, et luto fecis, ut de peccati ergastulo, et profundo iniquitatis indulgentiæ

dono respirent in auras perennis libertatis. Sic illa colligit dispersos, revocat aversos, eruens eos, qui ducuntur ad mortem, quosque trahi cernit ad supplicia, liberare non cessat. Tu. ð.

IN III. NOCT.

Lectio S. Evangelii secundum Joannem.

CAPITULUM. c. 2. 1.

In illo tempore: Nuptiæ factæ sunt in Cana Galilææ, et erat Mater JESU ibi. Et reliqua.

Honilia S. Thomæ Arhc. Valentini.

Concion. in Domin. 2. post Epith. Invitata erat Mater JESU ibi: Si tristis consolatur: erat Mater JESU ibi: Si justus lætatur: erat Mater JESU ibi. Si peccator erigitur: erat Mater JESU ibi. Denique, quidquid humano generi tribuitur, non sine illâ datur, ut ait Bernardus. *Lect. 8.* Sed non est otiosa: quid ait? Fili, vinum non habent: hæc ejus vox continua coram Filio suo pro peccatoribus. Fili, vinum gratiæ, peccatoribus non habent. Quid mihi et tibi est mulier? Quid eis debuit facere, et non fecimus? Non culpa nostra est. Tu. ð.

LECTIO 8.

Quid mihi et tibi? Mihi tu super choros angelorum: Quid tibi? O Fili! Mater illorum sum, advocata peccatorum. Non possum eos oblivisci. *Lect. 9.* Audite peccatores: implete hydrias, animas aquâ orationis, meditationis: licet frigida sit, ecce virtus ejus aquam convertet in forte vinum fervoris, et devotionis, quod languentulas novas disrupet, ut profuant in laudes commodas, et effundantur in laudes Dei: Vide quomodò Psalmus: Memoriam abundantiæ suavilitatis tuæ eruclabunt. Ecce vinum, quod

ore exundat multiplices Dei laudes. Ex abundantia enim cordis eis loquitur. Tu. ð.

LECTIO 9.

Commemoratio B. V. ab Ulmo. *Camòs 1. 3. c. 16.*

In parochiali templo oppidi Palacals Diocesis Gerundensis colitur Diva Virgo ab Ulmo dicta, quia in hujus nominis arbore inventa fuit antiquo tempore à mutâ puellâ, quæ eum imagine miraculo usum linguae quoque invenit. Sancta Leon lignea est; quatuor palmis alta, puerum sinistro brachio susinet. Prius in altari principe Sacelli ipsi edificati locata, anno millesimo sexcentesimo quinto in altum translata fuit. Solemnitas Assumptionis est ipsi sacra: ingens fit ad eam accursus, votisque particularibus colitur: nec desunt prodigia, ut ex appensis tabellis facillè liquet. Tu.

Te Matrem.

CANON.

Ex Pio Papâ Nono. *Const. Ineffabilis. die 8. Dec. 1854.* 412. Nihil enim timendum, nihil desperandum, Ipsâ Virgine duce, Ipsâ auspice, Ipsâ propitiâ, Ipsâ prolegete, quæ maternum sane in nos gerens animum, nostræque salutis negotia tractans, de universo humano genere est sollicita. Tu.

Cum secund. Vesper.

DIE III. OCTOBR.

DIVA VIRGO SCHIEDAMENSIS.

Simplex.

Bonifacius. Hist. Virgin. libr. 2. c. 14. LECT. 1.

Schiedami in Hollandiâ beata Virgo MARIA mirificè colitur: hæc autem occasione. Mercator quidam Schiedamum Deiparæ Imaginem in nundinis Antuerpiensibus venditurus attulerat, sed cum nauatæ ad sol-

vendum se comparant, nihil movendo, impellandoque proficiunt. Advolant quam plurimi ad rei spectaculum, uti fama percrebuit, stupent immoto navigio, tam nullas ardere manus, tantasque machinas, nec quicquam adhiberi, Sed propter Dei Matris illam efigiem fieri tandem suspecti, mercatorem rogant, uti justo accepto pretio illic relinquunt imaginem. Illo assentiente Imago tollitur, et in ede beatissimi Præcursoris collocatur. Tu. y.

LECTIO 2.

Crescit inde amor et pietas popularis. Sodalitas decem instituitur, in eodem loco quotidiana laudes cum ingenti pietate Deiparæ Virginis celebrantur. Hanc Imaginem Sancta Liduina nondum annum egressa septimum frequenter invisebat: quod si mater puella longiorem fuisse arguisset, ita respondebat: nec molestè feras paulò me tardius accessisse: saltavi enim speciosissimam Dominam nostram, et illa mihi blandissimè arrisit. Tu. y.

LECTIO 3.

Commem. S. MARIE Liberatoricis. *Balingh. Kalend. Marian. die 31. Decembr.*

Sanctus Sylvester Papa Deiparæ templum, quod cognominatur: Libera nos à penis Inferni; erexit, et in ejus arâ nullis repositis reliquis dicavit, quod ab ejus condicione aliquandò vocatur: Templum Sylvestri in lacu. Hoc templum nobilitatum est propter Draconem suo afflatu urbi pestilentissimum, ibi Sancti Sylvestri precibus extinctum. Est autem id templum in foro romano, ubi olim fuit fanum Jovis Satoris. Tu. Te Matrem.

Vesperæ de sequent. ut in 1. Vesp. Infantie.

DOMINATIONIS B. M. V.

Duplex.

Lect. 1. Noct. de Script. Fer.

IN H. NOCT.

Sermo S. Bernardini Senensis, *Serm. 3. de Smo. Novin. Mariae art. 1.*

LECTIO 4.

Primo quidem Dominatio est vera, quæ nulli prælationi est obnoxia. Sic et beata Virgo: nullius quippe prælationi obnoxia est, Quomodo enim subiceretur creaturæ, quæ Mater effecta est Creatoris? Immo Mater Domini omnis creaturæ effecta est Domina omnis creaturæ: igitur quia genuit Creatorem, Domina facta est omnis creaturæ. Unde merito dici potest ad quamlibet creaturam illud Genesis: Revertere ad Dominam tuam, et humiliare sub manu ipsius. Ad literam dicitur ad Agar de Sara. Quippè ipsa est verè Sara, quæ princeps interpretatur: quæ verè genuit Isaac, scilicet Filium Dei, in cujus semine benedicentur omnes gentes, per quem omnis creaturæ primatum habuit. Proinde hæc vera est: Deo subdita est omnis creatura, et beata Virgo: beate Virgini subdita est omnis creatura, et Deus. Tu. y.

LECTIO 5.

Secundo Dominatio est vera, quæ nullius adjutorio, seu auxilio est immixa. Sic et beata Virgo. Cui enim initeretur, quæ ab æterno Rege Dei Filio sustentatur? Ipsa mysticè est Esther, ad quam exiit Rex de solio, id est, Dei Filius de cælo sustentans illam ulnis suis. Esther elevata in populis interpretatur. Et merito significat Virginem benedictam, Dominam omnium populorum. Præterea cujus auxilio interetur Virgo benedicta, nisi su-

per dilectum suum, in quo est omnium consolationum abundantia, omnium honorum copia, et omnium delectationum et suavitatum affluentia? Tu. y.

LECTIO 6.

Tertio Dominatio nullius est subjectionis indiga. Sic et beata Virgo, ipsa enim habet Filium, in quo sunt omnia. Quia igitur omnia in Filio possidet, quomodo alicujus rei indigere potest? Siquidem honorum nostrorum non eget. Præterea omnis indigentia alicujus est, ut, aut id quod non habetur, acquiratur, aut quod habetur, custodiatur. Sed quid non habet hæc Domina mundi, quæ ab Angelo prædicata est gratia plena? Quippe omnium bonorum Mater est. Igitur nullius indiget. Cujus etiã custodia indiget, quæ Spiritum Sanctum in se sensit supervenientem, virtutem Altissimi obumbrantem, Filium Dei ex ipsa nascentem, et post in cœlum ipsam assumentem, et ad quæ dexteram collocantem? Siquidem positus est thronus Matris Regis, quæ sedebat ad dexteram ejus, et mysticè de beatâ Virgine dictum est. Tu.

IN III. NOCT.

Lectio S. Evang. secundum Lucam.

LECTIO 7. c. 11. 27.

In illo tempore: Loquente JESU ad turbas, extollens vocem quædam mulier de turbâ dixit illi: Beatus venter qui te portavit. Et reliqua.

Homilia S. Anselmi Episcopi.

Tractat. de concept. B. V.

Virginem MARIAM, quæ super omnes mulieres beata hodiè et benedicta colitur, et prædicatur, quam summus et omnipotens Deus in Matrem assumpsit, et universis quæ post se sunt, dominari constituit, cum in dextera ipsius unici beatique Filii sui multitudo viderit

hominum in regno illo beatitudinis adunatorum consistere: nonne felicem, nonne jucundum, nonne ultrâ quam quis æstimare queat, statum suum judicabit, in ejus consideratione, et presentia honoratum? Tu. y.

Bened. Cujus Dominationem.

LECTIO 8.

Virginem, inquam, de sua propagine orlam, sibi pro conditione unius naturæ consimilem præ oculis habebunt, Angelis et Archangelis presidentem: omnia utpote Regnum omnium cum Filio disponentem, seque dulci affectu amplectentem, sibi de collatâ gloriâ congaudentem: et fieri potuit ut ad hoc non immensum exultent, non se ineffabili jucunditate glorificationis conjubent? Tu. y.

LECTIO 9.

Et quidem ad hanc dignitatem, nec beatissima Virgine, nec numerositas hominum electorum nunquam ascendisset, si Filius Dei ad destructionem peccati Adæ de sinu Patris hominem ex ipsâ Virgine assumpturus non descendisset. Igitur propter peccatores MARIA facta est Mater Dei, quæ idcirco quod eâ castior, eâ sanctior, eâ humilior in opere humano nulla potuit reperiri, merito debuit in tantam excellentiam ab eo quo nihil castius, nihil sanctius, sublimius est nihil, adisci, et in quid excellentius adisci valeret, quam ut in perpetuâ virginitate permanens Deum de sua carne carne factum generaret? Hanc excellentiam contulit Deo Virgini MARIE, eo quod illam pudicitia cordis et corporis sibi præ omni creaturâ intellexit adhaerere. Tu. Te Matrem.

CANON.

Ex S. Bernardino Senensis.

T. 2. §. 51.—*Apud Labor. c. 1.*

413. Hæc autem Virgo in illo consensu meruit primatum orbis, dominium mundi, sceptrum Regni super omnes creaturas. Tu.

Cum 2. Vesper.

DIE VI. OCTOBR.

DEDICATION. S. M. DE PACE.

Duplex.

Omnia ut in comm. Dedication.

Lect. 1. Noct. de feriâ.

IN II. NOCT.

LECTIO 4.

Balingh. sub die 12. aug. in Calend. Mar.

Romæ in Ecclesiâ Sanctæ MARLE de pace celebratur anniversaria dies ejus dedicationis. Hujus templi erigendi hæc fuit occasio. Erat eodem loco antea parochialis Ecclesia Sancti Andree, et in ejus porticu Imago Deiparæ in pariete extra Ecclesiam. Ante hanc dum aleatores ludunt, unus ob amissas pecunias horrendè blasphematur beatam Virginem: postea taxilis in Imaginem jacit, et arrepto pugione eam in pectore, in collo, in genâ dextrâ, et in mente vulnerat, undè statim recens sanguis exilit. Indè famâ miraculi sparsâ, ingens fit hominum ad Imaginem accensus: succedunt miracula, undè quæ prius Sancti Andree Ecclesiæ dicebatur, dicta est Sancta MARIA de miraculis. Tu. ♯.

LECTIO 5.

Porrò cum tota propè Italia bellorum moribus quateretur, et ipsa Roma à Calabria duce obsideretur, Sixtus quartus ad dictam Imaginem accedens, vocit: Si Deus per beatissimam Virginem MARLE intercessionem pacem Italiæ daret, se templum sub titulo Dei Genitricis erecturum. Quare voti compos factus, et urbe liberatâ in solo veteri Ec-

clesiâ Sancti Andree ad honorem Virginis MARLE templum edificavit. Dictam etiâ Imaginem in illud transtulit, et loco decentissimo super aram maximam collocavit. Tu. ♯.

LECTIO 6.

At quod morte præventus non absolvit, Innocentius perfecit, et majoris aræ ornamentum marmoreum elegantissimè sculptum, et deauratum, in quo Imago prædicta continebatur, addidit. Monasterium canonicorum Regularium ibidem cardinalis Caraffa edificavit. Gaspar Rivaldas civis Romanus non solum sacellum regio opere adjunct, sed et cum lapidibus pretiosis, tum venustissimis picturis exornavit, et in novam Aram magnificentissimam, insumptis plusquam quindecim millibus aureorum, Imaginem transferri curavit. Tu. ♯.

Homil. de comm. Dedicat. pro Duplicib.

LECTIO 9.

Commemoratio B. V. Ransperganae.

Gumpenberg. in. 618.

Ranspergæ in Germaniâ Interiori perantiqua Deiparæ statua est, sanè miraculosa: nam et pictura id è muro edocet obsessos hic à spiritalibus malignis liberatos, et mortuos resuscitados fuisse. Languentem pietatem iterum suscitavit, qui anno millesimo sexcentesimo decimo octavo picturas evanidas renovavit, fecitque, ut simul etiâ antiqua pietas rediret, et Deiparæ favor. Tu. Te Matrem.

Vesperæ à capit. de sequent. ut in 1. Vesp. Inf.

DIE VII. OCTOBR.

COMMEN. B. M. V. DE VICTORIA.

Duplex.

Lect. 1. Noct. de Fer.

IN II. NOCT.

LECTIO 4.

Anni millesimi quingentesimi septuagesimi primi septimâ Octobris die, quâ Sanctissimi Rosarii sodalitates per universum orbem consuetas supplicationes peragerent, statutasque preces de more funde- rent, commissum est navale prælium ad Naupactum, Sancto Pio quinto Pontifice, qui eodem momento, quo Christiani Turcarum classem propè deleverant, de nostrorum victoriâ, quæ precibus sodalium sanctissimi Rosarii hand immerito referretur accepta, motus est. Tu. ♯.

LECTIO 5.

In eo igitur prælio fidelium exercitus Summi Pontificis Sancti Pii quinti, ac catholici Hispaniarum Regis Philippi secundi, nec non Venetorum Republicæ fœdere coactus, tanto impetu contra Turcarum gentes irruit, ut gloriosam ac cunctis sæculis memorabilem de ipsis ad Echinadas insulas, captis hostium triremibus centum et octoginta, cæteris dissipatis, victoriam reportavit. Tu. ♯.

LECTIO 6.

Ob tam ergò insignem victoriam Sanctus Pius quintus jussit quotannis Sanctæ MARLE de Victoriâ Commemorationem fieri, ut haberetur in Martyrologio Romano ad hunc diem his verbis: Eodem die Commemoratio Sanctæ MARLE de Victoriâ, quam Pius quintus, Pontifex maximus ob insignem victoriam à Christianis bello navali, ejusdem Dei Genitricis auxilio hæc ipsa die de Turcis reportatam quotannis fieri instituit. Tu. ♯.

Homilia de comm. pro Duplicibus.

LECTIO 9.

Commem. B. V. Budanæ in Silvis. *Gumpen. Imag. 163.*

Non longè à Budâ in Lithuania in

templo Sancti Francisci mediis in silvis (undè nomen habet) colitur Imago Sanctissimæ Deiparæ, quam Clemens Octavus Romanus Pontifex dono dedit cuidam Palatino, Misensî, cui nomen Joannes Pax, ab heresi ad fidem catholicam converso. Ad eam accurrît tota Lithuania, et alba Rusia propter ingentem famam miraculorum, sibi complacente Deiparâ eam invocantibus copiosa dona impertiri. Tu. Te Matrem.

Vesperæ sequentis.

DIE VIII. OCTOBR.

ENCENIA

OMNIUM ECCLESiarUM B. M. V.

Duplex primæ Classis cum Octavâ.

IN I. VESPER.

Ant. 1. O Israël, quàm magna est domus Dei, et ingens locus possessionis ejus. Psalm. ut in 1. Vesp. Solemn.

2. Propter domum Domini Dei nostri quæsi vi hona tibi.

3. Diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Jacob.

4. In domo meâ omnis qui petit, accipit, qui quærit, invenit, et pulsanti aperietur.

5. Ecce ego sto ad ostium et pulso, aperit mihi Mater mea, et exaudi me.

CAPITULUM. 2. *Paral. 20. 9.* Stabimus coram domo hæc in conspectu tuo, et clamabimus ad te in tribulationibus nostris, et exaudies, salvosque facies.

♯. Audite, qui ingredimini per portas has, ut adoretis Dominum: Bonas facite vias vestras, et nolite facere domum Matris vestræ domum negotiationis. ♯. O quàm metuendus est locus iste! Verè non est hic aliud nisi domus Dei, et porta cæli.—Bonas.—Glor.—Audite.

HYMNUS 104.

Lætis terra sonet plausibus; huic
Dei

Mater Virgo datur: munereque nova
Se rerum facies prolinis exurit;
Mundo pax redit aurea.

Hæc est illa domus, quæ Deus
Advena

In terris habitat, digna Deo domus,
Templum grande sibi quod propria
manu

Summus condidit Artifex.

Aureisarca vetus fulserit undique
Scintillans radiis: hæc vacuas de-
cent

Umbras: interius Numinis ipsius
Arcam nobilitas decet.

Non hic manna laet, legifer,
aut lapis,

Non ramus sterilis; flos viget hic
ferax

Virtutum: sacer hic panis, homo
Deus;

Hic legis residet dator.

Sit laus summa Patri, summa-
que: Filio

Amborum sit idem Spiritui decus,
Arcanis habitem, qui thalamum
modis.

Christo preparat Hospi. Amen.

ꝑ. Locus iste sanctus est.

ꝑ. Domus orationis vocabitur.

Ad Magnif. ant. Erit Nomen
menum in domo hæc, in quâ in-
vocatum est, cunctis diebus.

Oratio de Laud. Complet. de Do-
minicâ.

AD MATUTIN.

Invitatorium. Domum MARLE
decet sanctitudo: Christum ejus Fi-
lium adoremus in eâ.

HYMNUS 105. S. Aurel. Prud.

Exteri necnon et tribus
Huc colonus advenit:

Fama nam terras in omnes
Præcurrit proditrix;

Hinc Patronam esse mundi

Quam precantes ambient.

Nemo puras hic rogando

Frustrâ congestis preces:

Læus hinc tersis reverit

Supplicator lletibus,

Omne quod justum poposcit

Impetratum sentiens.

Laus tibi per omne tempus

Trinitas indifferens:

Laus, honor virtusque summa

Singularis gloriæ,

Quæ Deum te sæculorum

Personent per sæculum. Amen.

IN I. NOCT.

Ant. 1. Quicumque oraverit * in
loco isto, exaudi illum de cœlis,
Virgo MARIA, et propitiare. Ps. 14.
Domina quis. p. 5.

2. Exaudi * de habitaculo tuo,
et fac cuncta, pro quibus invocata
fueris. Ps. 29. Exaltabo te. p. 26.

3. Gloria Domini implevit Do-
mum MARLE, venite invocemus
nomen ejus. Ps. 37. Domina, ne
in. p. 28.

ꝑ. Beati, qui habitant in domo
tuâ.

ꝑ. In sæcula sæculorum lauda-
bitur te.

De libro tertio Regum.

LECTIO 1. c. 8. 1.

Tunc congregati sunt omnes majo-
res natu Israel cum principibus tribu-
m, et duces familiarum filio-
rum Israel, ad regem Salomonem
in Jerusalem, ut deferrent arcam
federis Domini de civitate David,
id est, de Sion. Conventique ad re-
gem Salomœnem universos Israel
in mense Ethanim, in solemnâ die,
ipse est mensis septimus. Venerunt
que cuncti senes de Israel, et tulerunt
arcam Sacerdotes, et porta-
verunt arcam Sacerdotes, et taberna-
culum federis, et omnia vasa Sanctu-
arii, quæ erant in tabernaculo:
et ferebant ea sacerdotes et Levita.
Tu. ꝑ.

ꝑ. Fecerunt filii Israel, Sacer-
dotes et Levitæ Dedicacionem do-
mûs Dei in gaudio, Et obtulerunt
in dedicacionem domus Dei victi-
mas Domino. ꝑ. Et fecerunt solemn-
itatem septem diebus in lætitiâ,
quoniam lætificaverat eos Dominus.
—Et obtulerunt.

LECTIO 2.

Rex autem Salomon, et omnis mul-
tudo Israel, quæ convenerat ad
eum, gradiebatur cum illo ante ar-
cam, et immolabat oves et boves
absque astimatione et numero. Et
intulerunt Sacerdotes arcam federis
Domini in locum suum, in oraculum
templi, in sanctum sanctorum,
subter alas cherubim. Siquidem
cherubim expandebant alas super
locum aræ, et protegabant arcam
et veles ejus desuper. Tu.

ꝑ. Respice ad orationem no-
stram, et ad preces nostras, quæ
Mater misericordiæ nuncuparis,
Ut sint oculi tui aperti super do-
mum hanc nocte ac die. ꝑ. Audi,
Domina, hymnum et orationem,
quam oramus coram te hodiè.—
Ut sint.

LECTIO 3. c. 10.

Factum est autem cum exisset
Sacerdotes de Sanctuario, nebula
implevit domum Domini, et non
poterant Sacerdotes stare et minist-
trare propter nebulam: impleverat
enim gloria Domini domum Domi-
ni. Tunc ait Salomon: Dominus
dixit, ut habitaret in nebula. Ad-
ificans edificavi domum in habita-
culum tutum, firmissimum solium
tuum in sempiternum. Convertit-
que Rex faciem suam, et benedixit
omni Ecclesiæ Israel: omnis enim
Ecclesiæ Israel stabat. Tu.

ꝑ. Fecit Salomon festivitatem
celebrem, et omnis Israel cum eo,
Coram Domino Deo nostro septem
diebus, et in die octavâ dimisit po-

pulos. ꝑ. Benedictus Dominus Deus,
qui dedit hoc in corde regis, ut
glorificaret domum Domini.—Co-
ram.—Glor.—Fecit Salomon. In
diebus infra Octav. Coram.

IN II. NOCT.

Ant. 1. Sanctificavit * Dominus
Domum Genitricis suæ, et habita-
bit in eâ. Psal. 43. Domina,
aurib. p. 29.

2. Orate in loco isto, * quia No-
men MARLE invocatum est super
domum hanc. Psal. 50. Miserere
mei. p. 31.

3. Replebimur * in bonis domûs
tuæ: sanctum est templum tuum.
Psal. 55. Miserere mei. quon-
iam. p. 32.

ꝑ. Gloria et divitiæ in domo ejus.

ꝑ. Et justitia ejus manet in sæcu-
lum sæculi.

Sermo S. Germani Arch. Consttan-
tinopolitani. Apud Surium die 31.
Augusti.

LECTIO 4.

Si Virgo appellata est civitas ani-
mata Regis Christi, meritò illius
quoque templum sanctissimum,
cujus dedicacionem hodiè celebra-
mus, et est et nominatur civitas
gloriosa. Civitas non terrestri et
mortali Regi in civium numerum
adscribens eos, qui parent ejus di-
tioni, sed cœlesti qui transmittit ad
vitam æternam, et præbet regnum
suum his, qui ipsum sequuntur.

ꝑ. Fecerunt Judæi dedicacionem
altaris octo diebus. * Et obtu-
lerunt holocausta cum lætitiâ, et
sacrificium salutaris et laudis. ꝑ.
Et facta est lætitiâ in populo magna
valdè, et aversum est opprobrium
gentium.—Et obtulerunt.

LECTIO 5.

Enceniorum autem nomen, id est,
Dedicacionis, ô Reverendi audito-
res, ne recentèr factis adificiis, et

modò coagmentalis constructionibus existimetis solum continere, sed eam etiã, qua in Spiritu fit, renovationem significare, per quam homo noster infernus, cum vetus et lacerum peccati exuerit indumentum, novam pietatis induens vivit in vita novitate. Illis enim delectatur Virgo ab omni penitus maculã aliena, qui virtutibus et secundum Deum viã pro instituto renovatur. Sic castæ castis fruamur Encænisi. Tu.

¶ Et ornaverunt faciem templi coronis aureis, et scultis: * Et dedicaverunt portas et pastophoria, et imposuerunt eis jantuas. ¶ Confitemini Domine nostræ, et invocate eam in domo sanctã suã.—Et dedicaverunt.

LECTIO 6.

Et tanquã ad ipsam præsentem, et omnia videntem accessuri; ita ad venerandum ejus templum accedentes, omnia componamus, et omnia mutemus in id, quod est melius, actionem et contemplationem. Nihil sit nostro die indignum. Non ingressus pedis, non risus dentium, ut dicitur, non vestis ornatus tendat ad indecorum. Quid dico? Ipsas quoquẽ componamus cogitationes, et incesso eas esse Deo dignas ostendamus. Hæc autem omnia præcedat etiã misericordia, quã Deus colitur, ut mente, animã, et corpore Encæniorum intermerata Dei secundum carnem Matris diem novò modo celebremus. Tu.

¶ Venite, ascendamus hodiẽ in montem Domini, ingrediamur Domum Genitricis Dei * Ad invocandum nomen sanctum suum. ¶ Elegit et sanctificavit locum istum in sempiternum.—Ad invoc.—Gloria.—Venite. *In diebus infra Octav.* Ad invoc.

Ant. 1. Introibimus * in tabernaculum ejus, et adorabimus in loco, ubi steterunt pedes ejus. *Ps. 84.* Benedixisti. *p. 39.*

2. Aperi, Domina, * oculos tuos super domum istam, ut exaudias preces populi tui. *Psaln. 126.* Nisi Domina. *p. 47.*

3. Aprehendam te, * et ducam te in domum Matris meæ. *Ps. 127.* Beati omes. *p. 47.*

¶ Domus mea. ¶ Domus orationis vocabitur.

LECTIO Sancti Evangelii secundum Joannem.

LECTIO 7. c. 10. v. 22.

In illo tempore: Facta sunt Encænã in Jerosolymis, et hiems erat. Et reliqua.

Homilia D. Euthymii Monachi.

Apud Suriam. die 31. August.
Dum itaque animas et corpora per virtutes quæ reprehendi non possunt, et Deo dignæ sunt, nos omnes abluerimus, ita accedamus ad ejus divinum et suscipiendum, et quod supra cœlesti loco non est inferius, Templum, in quod quicumque, ut videt, ingrediatur, tanquã in cœlo quodam modo perpetuos, et indeficientes cultus, et glorificationis facit cum timore, et cordis exultatione, maximè autem hodiẽ. Tu.

¶ Exaudi, Domina, vocem deprecationis meæ, dum oro ad te, * Dum extollo manus meas ad templum sanctum tuum. ¶ Respice, Domina, de excelso cœlorum habitaculo tuo.—Dum.

LECTIO 8.

Et quis non hodiẽ accurrit ad hanc longè clarissimam, et illustrissimam ornatisimam? Dedicatur hodiẽ Templum Dei Matris, quod

est pulcherrimum et luminosissimum, et cœlo potest acquiparari. Hodiẽ dedicatur templum maximè benedictæ Dei Filie in quo Angelorum exercitus assidue ministrant. Tu.

¶ Quàm dilecta tabernacula tua, Domina Virtutum! * Concupiscit et deficit anima mea in atris tuis. ¶ Hæc requies mea in sæculum sæculi: hic habitabo, quoniam elegi eam.—Concupiscit. *In dieb. infr. Oct. hoc v. omittitur.*

LECTIO 9.

Hodiẽ celebrantur Encænã nostræ Intermerata. Et quis est ex viris terrigenis, et ea quæ sunt Dei scientibus, non exiliit, et non præclare supra nivem dealbatus fuerit, et animo et moribus mutato? Ita enim in his erimus sine periculo, si maximo cum metu, et tremore, et spirituali exultatione in id ingrediamur. Tu.

¶ Audite, qui ingredimini per portas has, ut adoretis Dominum: * Bonas facite vias vestras, et nolite facere domum Matris vestræ domum negotiationis. ¶ O quàm metuendum est locus iste! verè non est hic aliud, nisi domus Dei et porta cœli.—Bonas.—Gloria.—Audite. *In diebus infra octav.* Bonas. Te Matrem.

AD LAUDES.

Et per Horas antiphonæ.

Ant. 1. Apertum est * templum Dei in cœlo, et visa est area testamenti ejus in templo ejus. *Psaln. de Domin.*

2. Ecce apertum est * templum tabernaculi testimonii: introibimus, et invocabimus Nomen Matris Dei.

3. Introibo * in domum tuam, adorabo ad templum sanctum tuum, et confitebor Nomini tuo.

4. Venite hodiẽ * ad Sanctua-

rium Domini, quod Deus sanctificavit in æternum.

5. Hæc domus mea, * hic locus solli mei, hic locus vestigiolorum meorum.

CAPITULUM. 2. *Parali. 20. 9.*
Stabimus coram domo hæc in conspectu tuo et clamibus ad te in tribulationibus nostris, et exaudies, salvosque facies.

HYMNUS 106.

Diva, te nostris, Mater, ò precamur

Annus vultu studiis sereno,
Plena sic nobis ferat ut dicatum
Gaudia templum.

Da metus omnes præcili hinc recedant,

Sint dies læti, placidæque noctes:
Tuamque gratiam omnibus clementiam

Filiis effunde.

Hæc dies templi referens recentis
Misticos ritus, Deo templa mole
Nos struat viva, superisque tandem
Arcibus apert.

Sit decus summo sine fine Christo,
Sancta quem Virgo genuit MARIA,
Qui Patri compar, Spiritui Sancto
Regnat in ævum. Amen.

¶ Introibo in domum tuam.

¶ Reddam tibi vota mea.

*Ad Benedict. ant. Vidi, * et ecce implevit gloria Domini domum Domini, Spiritus Sanctus supervenit in eam, et virtus Altissimi obumbravit illi: et cecidi in faciem meam.*

Oratio.

Omnipotens sempiternæ Deus, effunde super nos Spiritus Sancti dona cœlestia, ut qui sacrosancta Encænã beatissima Virginis MARIE Ecclesiarum recolimus, tuæ diviniæ habitationis templa fieri mereamur in terris, et tuæ gloriæ in æternum in cœlis. Per Dominum..... in unitate ejusdem.

AD PRIMAM.

Ant. Apertum est. *Capit. Stabimus. de Laudibus.*

ŷ. *br.* Quæ domus Dei effecta fuisti. *Dicitur per Oct.*

AD TERTIAM.

ELEVAVIT ME SPIRITUS, et introduxit me in atrium interius: et ecce repleta erit gloria Domini domus.

ŷ. *br.* Majestas Domini * Ingressa est templum.—Majestas. ŷ. Per viam portæ orientalis.—Ingressa.—Gloria.—Majestas.

ŷ. Sapientia adificavit sibi domum.

ŷ. Excidit columnas septem.

AD SEXTAM.

FILI HOMINIS, locus solii mei, et locus vestigiolorum pedum meorum, ubi habitabo in medio filiorum Israel in æternum.

ŷ. *br.* Sapientia adificavit * Sibi domum.—Sapientia. ŷ. Excidit columnas septem.—Sibi.—Gloria.—Sapientia.

ŷ. Hæc est domus Domini.

ŷ. Domus orationis et obsecrationis.

AD NONAM.

ISTA EST LEX DOMUS in summitate montis: omnis finis ejus in circuitu, sanctorum est: hæc est ergo lex domus.

ŷ. *br.* Hæc est * Domus Domini.—Hæc. ŷ. Domus orationis et obsecrationis.—Domus.—Gloria.—Hæc.

ŷ. Locus iste sanctus est. ŷ. Dei edificatio est.

IN II. VESPERIS.

Ant. 1. Beati * qui habitant in domo tuâ, Virgo MARIA, in sæculum sæculorum laudabunt te. *Ps. ut in 2. Vesper. solemn.*

2. Quia melior * est dies una in atriis tuis super millia in tabernaculis peccatorum.

3. Hæc requies * mea in sæculum sæculi: hic habitabo, quoniam elegi eam.

4. Quam dilecta * tabernacula tua: quam amabilia tentoria requietionis tue!

5. Concupisecit * et deficit anima mea in atria tua, Domine.

CAPITULUM. 2. Par. 20. 9. Stabimus coram domo hæc in conspectu tuo, et clamabimus ad te in tribulationibus nostris, et exaudies, salvosque facies.

ŷ. *Ut in 1. Vesperis.*

HYMNUS 107. *Ex Just. Lipsio et Guarini.*

DIVA, quæ gentes hominum salutis Exules partu recreas beato:

Astraque pandis, veterumque multas

Fata parentum.

Annue: en sacro tibi fumat ara Ture, quod felix lacryma sabæis

Arbor, et multus tibi flagrat ignis

Divite templo.

Corrige incurvos, vitisque fractos:

Claudimus gressu, invalidi atque scambi,

Semitam virtutis inire lenti:

Fac properemus.

Tu malis fessos releva, et favente,

Pacis indulge recreemur aurâ:

Tunc tibi laudes, Diva, dicit omnis

Sexus et ætas.

Sit decus summo sine fine Christo, Sancta quem Virgo genuit MARIA,

Qui Patri compar Spiritui Sancto

Regnat in ævum. Amen.

ŷ. Replebimur in bonis domus tue.

ŷ. Sanctum est templum tuum. *Ad Magnific. ant.* Tu exaudies * de caelo, ut sciant omnes populi no-

men tuum, et cognoscant, quia invocatum est super domum hanc.

Completor. de Dominico.

In diebus infra Octavam, nisi aliter notetur Officium fit ut in die Encæniar. cum Psalm. de ferid.

DIE IX. OCTOBR.

DIE V. NUCERINÆ.

Duplex.

Omnia ut in die Encæniar. *Lect. 1. Noct. de ferid.*

IN II. NOCT.

LECTIO 1.

Gumpenberg. Imag. 206.

VALLIS NUCERIA est Sola et Albino montibus media in regno Neapolitano. Ibi vixit quadam mulier, cui beata Virgo benignè apparuit et dixit: Ego sum Regina omnium, et locus hic totus meus est: simileque extensis latè brachiis locum designavit. Ipsa evigilans somnium marito narravit, et tacere quàm primum jubetur. Post biennium ad eandem mulierem Angelus missus fuit in somnis, quem tres ignes in eodem loco excitantem, et thus incipientem vidit, qui etiàm loquentem audivit. Et in virgula fumi mutatus in cælum abiit. Tu.

ŷ. Hæc ad cælum itur: hæc sunt orationes sanctorum: * Hic porta cæli patet, orantibus hic Dei aures inclinantur ad preces. ŷ. Audivi vocem angeli Dei dicentem mihi.—Hic.

LECTIO 2.

FEMINA VISIS, jussisque territa, tacuit sanè, sed viro, ne iterum tacere juberetur. At verò quos inveniebat passim omnibus, et hæc quæ nunc vidit, et illa, quæ olim edixerat, enarrabat. Et fidem invenit apud plurimos, ita ut confestim populus ad locum ivit. Erat ibi quercus ananosa, quæ evulsa cum radicibus

suis arbor non nisi cisterna veteris ostium ostendit. Ita populus somnio mulieris deceptus rediit. Tu.

ŷ. Die populo, ut fodiat, et latentis sacrarii indicia inveniet: * Si quidem evadere vellet, quæ illi mala è caelo imminet. ŷ. Hic locus sanctus est: die populo ut fodiat.—Si quidem.

LECTIO 6.

Sed hoc ubi Deiparæ quæstæ est mulier, iterum apparet, gemmam de anulo, quem digito gestabat exustiens, in fidei pignus dat, jubetque quærere locum. Et sanè alterà die invenit, egestà terrâ, antiqui templi rudera, in quo et lampadum fragmenta, aliaque postea inventa sunt. Reperita quoque est Deiparæ Imago, postea Altari principi inserta, unâ cum plurimis Sanctorum Reliquiis, inter quas erant venerandi capilli Beatæ Virginis, de cingulo ejus, de vestimentis ejus, et quadam ampulla vitrea plena de lacte ipsius Virginis. Tu.

ŷ. Ecce ego ipsa dabo tibi signum: * Gemmam de anulo meo tibi dono in fidei pignus. ŷ. Hic locus totus meus est: die populo, ut fodiat.—Gemmam.—Gloria.—Gemmam.

IN III. NOCT.

Lectio Sancti Evangelii secundum Matthæum.

LECTIO 7. c. 13. 45.

In illo tempore: Dixit JESUS Discipulis suis: Simile est regnum cælorum homini negotiatori, quærenti bonas margaritas. Et reliqua.

Homilia Sancti Antonini Arch. Florentini.

Sermo in Nativ. B. V.

Iste negotiator est ipsemet Dei Filius, qui abiit, angelos in caelo requærens, id est, non assumendo naturam eorum, omnia sua vendi-

dit, dum cum humanâ naturâ commutavit divinitatem suam, et nos ei humanitatem nostram: tunc enim omnia bona sua acquisita sunt nobis cum illâ, cum ipse specialiter assumpsit islam pretiosam margaritam, id est, Virginem MARIAM Sponsam. Tu. ꝑ. Exaudi Dom.

LECTIO 8.

Hæc enim ad modum margaritæ genita est intra concham, id est, uterum Annæ humilis Matris suæ ex cœlesti rore, id est, divini gratiæ et virtute, quia Anna sterilis erat dealbata, et sanctificata. *Lect. 9.* Talis margaritæ pretiosa reputatur, scilicet, pulchra, candida et clara. Pulchra mente per puritatem, candida in corpore per castitatem, clara in opere per sanctitatem. O quàm pulchra est casta generatio cum claritate! Tu. ꝑ. Audite qui.

LECTIO 9.

Commemoratio B. V. de Insulâ.

Gumpenb. Altus mar. inag. 311. Non procul Vicentiâ in Italiâ Villa est, quæ Insulæ nomen habet, in quâ perantiqua et miraculosa Virginis effigies veneratur in quodam templo. Statua est lapidea, et Deipara JESUM pectori appressum brachio tenet. Constat templum hoc anno millesimo trecentesimo sexto jam extitisse, et cum à millibus post duos sæculos spoliatum, et incensum fuerit, statua ipsa lapidea, vidente populo, acerbissime flevit, et oculos clausit. Finito bello restauratum est templum, et unâ cum templo pietas, quæ etiam nunc durat. Tu. Te Matrem.

Vesperæ ut in 2. Vesper. Encanior.

DIE X. OCTOBR.

DE III. DIE INFRA OCT. ENGEN.

Semiduplex.

Lectio. 1. Noct. de ferid.

In secund. Noct. leguntur Lectiones ut in Commem. Reddeat. Si Salomon cum Israel. Responsoria verò ut in die Encanior.

IN III. NOCT.

Lectio S. Evangelii secundum Joannem.

LECTIO 7. c. 10. 22.

In illo tempore: Facta sunt Encania in Jerosolymis, et hyems erat. Et reliqua.

Homilia D. Euthimii Monachi.

Apud Surium die 31. Augusti. Hodie templum dedicatur hujus gloriose Dei Matris, in quod ab Oriente et Occidente, à Septentrione et mari omnes ardentè et fideliter conflunt, et spirituales cultus cum timore peragunt, et Deum ex corde non cessant glorificare à mediâ nocte, atque adeò perpetuo et alacri animo assimilati Archangelis. Tu. ꝑ. Exaudi.

LECTIO 8.

Hodie dedicatur templum Regis Christi Matris, in quo omnis scriptura à Deo inspirata, et utilis legitur ad utilitatem animarum innumerabilium. Elenim ex quovis christianissimo ordine in id magno studio conflunt, Pontifices et Reges, Principes et magistratus, divites et pauperes, immatura ætas et piarum feminarum cetera. Tu. ꝑ. Audite qui.

LECTIO 9.

Commemoratio B. Virginis Trocensis.

Gumpenb. Inag. 187.

Imago Beate Virginis, quæ in civitate Trocensi in arâ minore templi majoris colitur, jam à temporibus Alexandri Vitaldi magni Ducis miraculosa est. Tantus hodie concursus est, ut integræ propè civitates totius ferè Lithuania

pro festis Deiparæ à milliaribus polonicis quatuordecim supplicantium ritu effundantur ad hunc locum visendum. Undè patet, quòd non solum ab ortu usque ad occasum, sed etiam à meridie ad ultimum usque Septentrionem laudabile esse Nomen MARIE. Tu. Te Matrem.

Vesperæ ut in 2. Vesper. Encanior.

DIE XI. OCTOBR.

DIE V. TINDARITANÆ.

Semiduplex.

Lect. 1 Noct. de Ferid.

IN II. NOCT.

LECTIO 4.

Octav. Cajetan de effigib. Siculis. In Sicilia juxta antiquam arcem Tyndaritanam templum extat, in quo antiquissimum Virginis Simulacrum ex marmore magnâ, ut patet, colitur observantiâ. Traditio est olim (nihil de tempore liquet) cum navigium, quo sanctissimum Simulacrum advehebatur, Siciliam cum legeret, sub ipso Tyndaritano monte constitisse; cumque ultra progredi neuitquam posset, et jam faventibus ventis ab aliâ regi virtute clarè appareret; nauâ, impellente animos cœlesti Numine, Statuam Virginis è navigio deponunt, et ad proximum templum in colle collocant. Tu. ꝑ. Fecerunt.

LECTIO 5.

Eâ in re contingit, ut in loco, quo primum effigies constituta fuit, ibi illius vestigium imprimeretur, quod quidem in marmoreâ tabellâ unius palmi adhuc ibi observatur, reique memoriam servat. At vero navis, deposito Virginis Simulacri onere, reversisque nautis felicissimo cursu portum tenuit: tantum videlicet Regina cœlorum hanc sibi expectabat sedem, tantam ex suâ Sicilia

voluptatem capiebat, ut in eâ, etiam cum vi præter rerum ac naturæ ordinem habitare quodammodo vellet, et illi maximè colli ab omnibus, ubi tanta idololatriæ superstitionis pritis floruerat. Tu. ꝑ. Et ornaverunt.

LECTIO 6.

Primum in templi latere sita fuit statua, deinde sacellum fabricatum fuit, magnæque, fama est, in eâ translatione miraculum fuisse, nam cum in novum sacellum translata esset vespere, manè in primâ sede, ubi primum fuit posita, inveniebatur. Quarè solemnibus supplicatione iterata translatio est, et mirum sanè prodigium, nam ubi eâ pompâ in novo sacello collocata fuit, non amplius ex eo mota, ibique beneficia omnibus elargitur. Tu. ꝑ. Venite.

NI III. NOCT.

Lectio Sancti Evangelii secundum Lucam.

LECTIO 7. c. 11. 27.

In illo tempore: Loquente JESU ad turbas, extollens vocem quædam mulier de turbâ, dixit illi: heatus veni qui tē portavit. Et reliqua. Homilia S. Epiphaniî Episcopi.

De Laudibus B. M. V.

Quid dicam? et quid proloquar? quo pacto beatam predicabo gloriæ radicem? Solo enim Deo excepto cunctis superior existit: naturâ formosior est ipsis Cherubim, Seraphim, et omni exercitu Angelico: cui prædicando cœlestis ac terrena lingua minimè sufficit, imo verò nec angelorum. Elenim ipsi quidem hymnum, laudem, honorem protulerunt: non tamen eo modo eloqui pro dignitate potuerunt. Tu. ꝑ. Exaudi.

LECTIO 8.

Lætabuntur verò Angeli, tanquàm ipsi dumtaxat Deum haberent, qui-

bus Sanctissima Virgo superior facta, Deum habitantem in coelis concepit in terrâ, ut hæc ratione exercitus Angelorum traheret in terram, et versaretur cum hominibus. Ipsa est enim cœli et terræ mediatricis, quæ unionem naturaliter peregit. Tu. *ŷ.* Audite, qui.

LECTIO 9.

Commemoratio B. Virginis de Almodenâ.

Gumpenb. imag. 619.

Matritenses in obsidione Maurorum, ne Salua Sanctæ MARLE de Almodenâ in ludibrium Saracenorum remaneret, eam intra muros urbis absconderant. Porrò locus per traditionem nepotibus non erat ignotus: diverse tamen et nullæ erant sententiæ, nemine non affirmante intra mœnia hunc thesaurum latere, et omnibus, quâ muri parte lateret, ignorantibus. Quapropter suasu piorum supplicatio instituta est, quâ Virgo rogabatur, dignaretur Iconem suam delegere. Sed ecce pars muri concidit, detegitur Sancta Imago, et incredibili lætitiâ suo templo restituitur. Tu. Te Matrem.

Vesperæ de sequent.

DIE XII. OCT.

COMM. B. V. M. DE COLUMNA.

Duplex majus.

IN I. VESPER.

Antiphona ut in 2. Vesper. Enceniorum. Psalm. de ferid.

CAPITULUM. 2. *Esd. 9. 19.*

Columna nubis non recessit ab eis per diem, ut duceret eos in viam, et columna ignis per noctem, ut ostenderet eis iter, per quod ingrederentur.

HYMNUS 108. *Marc. Maxm.*
O Casaraugustæ decus,
Et dulce patrociniûm,

Genis Iberæ columnæ
Templum columnæ immobilis.

Quæ dicis plûs omnibus
Sacris Iberis sedibus
Jerusalem mirabilis,
Domus pudicæ Virginis.

Te præ solis cubiculis
Elegit ipsa Genitrix,
Quæ gessit almo in utero
Magni Tonantis Filium.

Hæc nam Jacobo Apostolo
Et suo consanguineo
Ædem jubet conficere
Cunctis manentem sæculis.

O grandis apparitio,

Jacobo facta primitus
Anno nono tricesimo
Natalis almi Domini!

Doxologia de Tempore.

ŷ. Ignis ardentem columnam.
ŷ. Ducent habuerunt ignoia viæ.

Ad Magnif. ant. Elegi, et sanctificavi locum istum meâ præsentia, ut sit ibi nomen meum, et permancant oculi mei et cor meum ibi cunctis diebus.

Oratio de Laudib.

AD MATUTIN.

Invitatorium. Memoriam MARLE cum laudibus celebremus: * Et nomen ejus cum; exultatione.

HYMNUS 109. *Ex offic. prop.*
Jubilo dulci canimus MARIAM,
Flumen æternæ pietatis, undè
Hauriunt omnes, quibus ardet alto
Pectore virtus.

Cujus est primo fidei sub ortu
Noster expertus populus favorem,
Cum per Hispanas micuisset oras
Stemma salutis.

Longa quod plausu cecinit vestustas,

Quod Patres olim colere festum,
Prædicent sanctè, celebrentque gratâ
Mente nepotes.

Fertur, ut quondam monitus Jacobus

Casaraugustæ posuisse templum,
Nostras sic ades nitidas MARLE
Corde dicemus.

Virginis laudes celebrans Iberus
Civis exultet, memor et receptæ
Gratiæ, festo redeunte, vota

Debila solvat.

Sit decus summum tibi, Christe,
Mater

Pura quem Virgo generavit, aquâ
Laudè dicatur, Pater, ac perenni
Spiritus avo. Amen.

IN I. NOCT.

Ant. 1. Columnam ducent habuimus ignoia viæ, et solem sine lesurâ boni hospitii præstitisti.

2. Non fecit taliter omni nationi, et judicia sua non manifestavi eis.

3. Sapientia edificavit sibi domum, et mensam suam proposuit.

ŷ. Beati, qui habitant in domo tuâ.

ŷ. In sæcula sæculorum laudabunt te.

De libro Exodi.

LECTIO 1. c. 13. 17.

Cum emisisset Pharaon populum, non eos duxit Deus per viam terræ Philistiim, quæ vicina est: reputans ne forè periret eum, si vidisset adversum se bella consurgere, et revertentur in Ægyptum. Sed circumduxit per viam deserti, quæ est juxta mare rubrum, et armati ascenderunt filii Israel de terrâ Ægypti. Tu.

ŷ. Vidi speciosam sicut columbam ascendentem desuper rivos aquarum: * Cujus inestimabilis odor erat nimis in vestimentis ejus. ŷ. Et vidi eam, quasi columnam fumi de civitate descendere.—Cujus.

LECTIO 2. v. 20.

Protectique de Sooth castramentati sunt in Etham in extremis finibus solitudinis. Dominus autem præcedebat eos ad ostendendam

viam per diem in columnâ nubis, et pernoctem in columnâ ignis, ut dux esset itineris utroque tempore. Nunquam defuit columna nubis per diem, nec columna ignis per noctem. Tu.

ŷ. Beatissima Virgo Sancto Jacobo Apostolo ad Iberi fluminis ripam oranti apparuit: * Ibi que, ut sacellum extrueret, eidem inuaxit. ŷ. Ecce locus signatus, et honori Deiparæ deputatus.—Ibique.

LECTIO 3. c. 14: 19.

Tollensque se Angelus Dei, qui præcedebat castra Israel, abijt post eos: et cum eo pariter columna nubis, priora dimittens, post tergum. Stetit inter castra Ægyptiorum et castra Israel: et erat nubes tenebrosa, et illuminans noctem, ita ut ad se invicem toto noctis tempore accedere non valerent. Tu.

ŷ. Jacobus Apostolus adieculam extruxit, * Quæ antiquâ populorum religione, et maximâ frequentia celebratur. ŷ. Auribus nostris audivimus, patres nostri annuntiaverunt nobis.—Quæ.—Gloria.—Quæ.

IN II. NOCT.

Ant. 1. Tulit Jacob lapidem unum, et vocavit nomen illius: lapis adiutorii.

2. O quam metuendus est locus iste! verè non est hic aliud nisi domus Dei, et porta cœli.

3. Ecce ego militam in fundamentis Sion lapidem angularem, probatum, preliisum.

ŷ. Gloria et divitiæ in domo ejus.

ŷ. Et justitia ejus manet in sæculum sæculi.

LECTIO 4.

Ex Offic. proprio B. V. M. de Columnâ.

Ut pia et antiqua traditio habet, cum beatus Jacobus Apostolus, major nuncupatus, divino consilio Hi-

spaniam appulisset, et aliquandū CasarAugustae subsliffisset, ipsicum aliquot discipulis noctu ad Iberi fluminis ripam oranti beata Virgo, dum adhuc in humanis ageret, apparuit, ibique ut sacellum extrueret, injunxit. Tu.

¶ Hæc est domus Domini firmiter edificata, Ecclesia Dei vivi: * Columna fidei, et firmamentum veritatis. ¶ Verè non est hic aliud nisi domus Dei et porta cœli.—Columna.

LECTIO 5.

Quare nihil cunctatus Apostolus, discipulis opem ferentibus, adiculam Deo in ipsius Virginis honorem dicavit. Huic autem procedentibus sæculis, amplius et augustius templum accessit, quod è Simulacro Deiparæ Pilæ è marmore superstante, atque ibidem maximâ totius Regni pietate ac frequentâ venerato, à Columnâ olim acceptum nomen, hæc quoque temporibus relinnet. Tu.

¶ Ad Simulacrum Virginis de Columnâ piè venerandum pepuli de longinquo veniunt: * Vota sua humili corde offerunt, et uberes gratias à Deo impetrant.

¶ Leva in circuitu oculos tuos et vide: omnes isti congregati sunt, venerunt tibi.—Vota.

LECTIO 6.

Uique debitus Deo cultus, ac fervens jam erga Virginem populorum devotio uberius in diem incrementum accipiat, Clemens xii. Pontifex maximus per universas regi catholico subjectas ditiones ejusdem Commemorationis officium die duodecimâ Octobris celebrari indulisit. Et novissimè Summus Pontifex Pius septimus hanc festivitatem ad ritum primæ classis cum octavâ elevavit, officium quoque proprium in eâ recitari posse concessit, sed pro

tolto regno Aragoniæ tantum. Tu.

¶ Statuit Dominus super petram pedes meos, et in petrâ exallavit me: * Et nunc exallavit caput meum super inimicos meos. ¶ Fundamenta æterna supra columnam solidam.—Et.—Gloria.—Et.

IN III. NOCT.

Ant. 2. Dedit nobis Dominus civitatem munitam et columnam ferream.

2. Dum anxietur cor meum, in petrâ exallavit me.

3. En ego stabo ibi coram te super petram, et exhibit ex eâ aqua, ut libat omnis populus.

¶ Domus mea. ¶ Domus orationis vocabitur.

LECTIO S. Evangelii secundum Joannem.

LECTIO 7. c. 19. 25.

In illo tempore: Stabant juxta crucem JESU Mater ejus, et soror Matris ejus, Maria Cleophe, et Maria Magdalene. Et reliqua.

Homilia S. Epiphaniî Episcopi.

Contra Hæres. hæres. 78.

In ipsâ consummatione, quando Salvator in cruce pendebat, velut habet Evangelium secundum Joannem: conversus, inquit, vidit Discipulum, quem diligebat Dominus, et dixit ipsi de MARIA: Ecce Mater tua: et eidem dicit: Ecce Filius tuus. Si verò fuisset filii MARIE, et si fuisset ipsi vir, quâ ratione tradidisset ipsam Joanni, et Joannem MARIE? Quâ vero ratione non potius Petro tradidit? Quâ ratione non Andrea Mattheoque, ac Bartholomæo? Et manifestum est, quod Joanni propter Virginitatem. Tu.

¶ Insigni beneficio peculiarem sui obtinendæ Patrociniî fiduciam clementissima Virgo nobis concessit: * Quæ hunc locum elegit, in quo preces undiquè confluentium

exciperet. ¶ Filii tui de longè venient, et filiae tuæ de latere surgent.—Quæ.

LECTIO 8.

Ecce enim Mater: quanquàm non esset Mater ipsius Joannis secundum carnem: sed ut ostenderet ipsam Matrem esse principem Virginitatis: quoniam ex ipsâ vita erat. Et Joanni, quanquàm secundum carnem alieno existenti dicebat, ut doceret honorare propriam suam Matrem, quoniam reverè secundum carnem ex ipsâ Dominus ipse genitus est, et ne quis putet, rem ipsam esse apparientiam, et non veritatem. Tu.

¶ Dominus præcedebat eos ad ostendendam viam, * Per diem in columnâ nobis, et per noctem in columnâ ignis. ¶ Nunquàm defuit columnâ nobis per diem, nec columnâ ignis per noctem.—Per diem.—Glor.—Per.

LECTIO 9.

Si enim non fuisset verè ipsius Mater, quæ secundum carnem peperit ipsum, non sanè curam habuisset, ut semper Virginem commendaret, quæ mater quidem facta est propter dispensationem, impolluta autem erat propter honorem ega ipsum et vas admirabile. Dicit autem Evangelium: Et ab illâ die accepit ipsam ad seipsum. Tu. Te Matrem.

AD LAUDES.

Et per Horas Antiphona.

1. Sapientia * edificavit sibi domum, excidit columnas septem.
2. Ego in altissimis * habitavi, et thronus meus in columnâ nubis.
3. Columna nubis * omnes operiens, columna ignis omnes illuminans.
4. Fundata est * domus Domini secus decursum aquarum, et flumina non obruent illam.

3. Fundabo te * in saphiris, ponam jaspidem propugnacula tua.

CAPITULUM. 2. Esdr. 9. 19.

Columna nubis non recessit ab eis per diem, ut doceret eos in viam, et columnâ ignis per noctem, ut ostenderet eis iter, per quod ingrederentur.

HYMNUS 110. Ex offic. prop.

Grata Virgini MARIE,
Præsidi dulcissimæ;
Gaudet sublime donum
Cœnens Hispania,
Occupet nec ulla mentes
Impudens oblitio.

Virgo stans super columnam
Fulget æde maximâ,
Excubantes hinc et inde
Lampades pulcherrimæ,
Nocte certatim dieque
Dulce lumen offerunt.

Quæ patres cœpere primi
Tecta cultu simplici,
Posteri majore sumpto
Promoventes extruunt

Prisca paupertas placebat,
Nec novus mos displicet.

Nempe devotas ad aras
Supplices se conferunt,
E remotis dona terris
Consecrantur adibus,
Spargit undè Virgo clemens
Gratias uberimas.

Sit tibi virtus, decusque
Christe nate Virgine,
Sit Patri laus et Datori
Gratiarum Flamini,
Una jugiter canatur
In tribus divinitas. Amen.

¶ Introibo in domum tuam.
¶ Reddam tibi vota mea.

Ad Bened. ant. Sanctificavit Dominus tabernaculum suum: benedicta gloria Deiparæ de loco sancto suo.

Oratio.

Omnipotens sempiternæ Deus, qui per gloriosissimam Filii tui Ma-

trem celeste præsidium nobis mirabiliter præparasti; concede propitius, ut, quam peculiari titulo de Columnâ piâ devotione veneramus, ejus perpetuo protegamur auxilio. Per eundem Dominum.

Ad horas antiph. et orat. de Laudib. cætera ut in die Encæn.

CANON.

Ex Calixto Papâ Tertio.
In Bull. Universis Chi. fidelibus 9. Kalend. Octobr. an. 1436. apud Mirillo Tract. 1. c. 3. p. 18.

414. Christi fideles magnâ devotione ac veneratione Imaginem Beatæ MARIE, et ejus Filii in quâdam Capellâ ejusdem Ecclesiæ (quæ de mandato Beatæ MARIE per Beatum Jacobum fabricata, et camera angelica Dei Genitricis de Pilari nuncupata et appellata extitit) colunt et venerantur, ac cum maximâ devotione visitare non cessant. Tu.

In 2. Vesper. antiph. ut in 2. Vesp. Encæn. Capitul. Hymn. et y. ut in Laudibus.

Ad Magnif. ant. Respice de cœlo et vide, et visita vineam istam, quam plantavit dextera tua, et perfrice eam.

DIE XIII. OCT.

DE VI. DIE INFRA OCTAV.

Semiduplex.

Lect. 1. Noct. de fr.

IN III. NOCT.

Sermo Divi Euthymii Noachi.

Apud Surum die 31 Aug.

LECTIO 4.

Sed quis tuæ gloriæ loquetur magnalia, ô inemerata! Hodie dedicatur Templum Sponsæ expertis nuptiarum Patris, qui non potest comprehendi, in quo chori piorum et doctorum virorum ordine assistentes, et indoctos non parvam

præbentes utilitatem, summam accipiunt remunerationem. Qui enim abducit, inquit, indignum ab indigno, erit tanquam os meum. Tu. ꝯ. Fecerunt.

LECTIO 3.

Hodie dedicatur templum purum, et integrum gloriosæ Dei Filiae, in quod etiâ si, qui sunt in montibus et speluncis cursu venientes, et bonâ famâ ossa, ut dicit Scriptura, pinguefaciente, amore amorem assumunt, et læti domum vadunt, semper Virginis MARIE summum templum honorantes. Tu. ꝯ. Et ornaverunt..

LECTIO 6.

Hodie templum dedicatur illius castissimæ templis omnibus superius, in quo plurimi ex iis, qui sunt polluti peccatis gravissimis redeunt ad pietatem, et summam puritatem, et sunt æquales angelis. Hodie dedicatur templum patrocini et defensionis Christianorum, in quo ii etiâ, qui optimè vivunt, redduntur formosiores, et luce lucem accipiunt, exornati humilitate, qui Christum imitantur. Tu. ꝯ. Venite.

Homilia ut in die Encænorum.
LECTIO 9.
Commemoratio B. Virginis de Monte Viridi.

Gumpenb. Imag. 317.

Grumi in Apuliâ pervetusta Deiparæ Imago colitur à Monte Viridi dicta, quæ pluribus sæculis extra oppidi mœnia in trivio cum jacuisset incognita, hodie piorum liberalitate templum habet per amplum, et venustum. Hujus Imaginis Sanctissimæ fama tanta per totam Apuliam percrebuit, et adeo crebis beneficiis clientes suos prosequitur, ut undequaque ad novas gratias impetrandas à cœli Regina

illuc conflant non vicini modò, sed etiâ longè dissiti, nec his tantùm temporibus, sed jam olim, quod ex parantiquis codicibus habetur. Tu. Te Matrem.

Vesperæ ut in 2. Vesp. Encænior.

DIE XIV. OCT.

B. M. V. AB ARCU.

Duplex.

Omnia ut in die Encæniorum.

Extra Oct. ut in Com. Inf.

IN I. NOCT.

De libro Genesis.

LECTIO 1.

c. 9. 8.

Dixit Deus ad Noe et ad filios ejus cum eo: Ecce ego statuam pactum meum vobiscum, et cum semine vestro post vos; et ad omnem animam viventem, quæ est vobiscum, iam in vulneribus, quam in jumentis et pecudibus terræ cunctis, quæ egressa sunt de arcâ, et universis bestiiis terræ, statuam pactum meum vobiscum, et nequaquam ultra interficietur omnis caro aquis diluvii, neque erit deinceps diluvium dissipans terram. Tu. ꝯ. Fecerunt filii.

LECTIO 2.

Dixitque Deus: hoc signum fœderis, quod do inter me et vos, et ad omnem animam viventem, quæ est vobiscum in generationes sempiternas. Arcam meam ponam in nubibus, et erit signum fœderis inter me, et inter terram. Cumque obduxero nubibus cœlum, apparebit arcus meus in nubibus; et recordabor fœderis mei vobiscum, et cum omni anima vivente, quæ carnem vegetat: et non erunt ultra aquæ diluvii ad delendum universam carnem. Tu. ꝯ. Respice.

LECTIO 3.

Eruntque arcus in nubibus, et vi-

debo illum, et recordabor fœderis sempiterni, quod pactum est inter Deum et omnem animam viventem universæ carnis quæ est super terram. Dixitque Deus ad Noe: Hoc erit signum fœderis, quod constitui inter me et omnem carnem super terram. Tu. ꝯ. Fecit.

IN II. NOCT.

LECTIO 4.

Spinelli in Mar. Dep. c. 20. n. 25.
In viâ publicâ propè Sanctam Anastasiam, oppidum Nolanzæ Diocesis in Italiâ, erat angustum, ac tenue sacellum in campestri loco antiquitus structum, cui nomen vulgò: Sancta MARIA ab Arcu, sic dicta à fornice ad ejus lævâ in pariete erant liquidas expressa coloribus Deiparæ Imago puerum JESUM inter brachia gestantis, quæ quamvis olim nullo Clericoꝝ perpetuo servitio coleretur, illustrata certè divinitus est nobilissimo miraculo, quod finitimos populos ad pietatem, novumque sacelli cultum excitavit. Tu. ꝯ. Fecerunt.

LECTIO 5.

Quoniam enim quidam impius jaculam fecisset in ludo, arreplam, quâ in-debat, ligneam pilam in Deiparæ depictæ faciem sacrilegâ manu contorsit, ejusque sinistram percussit genam undè repente sanguis miraculosè dimanavit, ejus represso fluxu, sanguinei coloris impressa cicatrix divinitus remansit in facie. Verùm impius percussor eodem in loco in sceleris penam judicis sententiâ arbori cum lusorius instrumentis suspensus interit. Mulier quædam quoque, quæ in beatâ Virgine ab Arcu blasphemaverat, ob tantum crimen pedes inarefacti ab ejus cruribus post annum ceciderunt distracti, perinde ac si gladio abscissi essent, absque ullo do-

lore, et sanguinis fluxu. Tu. ꝑ. Et ornauerunt.

LECTIO 6.

Indè est igitur, quòd in eam Deiparæ Imaginem deuotio magis magisque excitata est, innumerisque crebrescentibus miraculis, ac beneficiis, quæ eo in loco à Deiparâ conferebantur, tantum pietatis exarsit in finitimorum populorum peccatoribus erga eandem Virginem ab Arcu, ut omnes accurrerent, suis quoque necessitatibus, aut moribus à Deiparâ opem quærent; et pro suâ facultate votivis donis sacellum cumularent, sacrumque suppellectilem conferrent, et jam tecti visuntur parietes votivorum tabellarum multitudine. Templum structurâ satis amplum, ac nobile est, adieclumque cenobium ex illustri Prædicatorum familiâ habet. Tu. ꝑ. Venite, ascendamus.

IN III. NOCT.

Lectio S. Evangelii secundum Lucam.

LECTIO 7. c. 11. 27.

In illo tempore: Loquente JESU ad turbas, extollens vocem quædam mulier de turbâ, dixit illi: Beatus venter, qui te portavit. Et reliqua.

Homilia S. Joannis Chrysostomi. In *Matthæi* c. 12. *Homil.* 43. *initium.*

Una sola et vera, et communis nobilitas atque necessitudo cum Christo est, ut voluntatem Dei facias. Hæc propinquitatis modus nullò melior est, atque uberior: idcirco cum mulier quædam dixisset. Beatus venter qui te portavit, et ubera, quæ suxisti, non respodit: nullus me portavit venter, nec ulla ipse ubera suxi; sed, Beati qui faciunt voluntatem Patris mei. Vides quemadmodum nullibi conjunctionem hanc naturæ hominum negat, sed

addit semper illam, quæ à virtutibus est. Tu. ꝑ.

LECTIO 8.

Non dixit se non habere Matrem, sed indè Matrem quoquæ suam beatitudinem consecuturam asseruit, si Patris ejus fecerit voluntatem. O admirabilem honorem! O virtutis incredibiles honores! quò ductis benè viventes homines? Quot mulieres sanctissimam illam Virginem beatificarunt? Quot uterum illum admirantur? Quot optarunt tales fuisse matres, et cætera contemnerent omnia? Quid igitur prohibet? ꝑ. Audite qui.

LECTIO 9.

Ecce namque rectam, atque facilem viam nobis proposuit, ut non feminis solum, verum etiã viris ad hunc ordinem pervenire liceat; imò verò etiã ad majorem: nullò enim propinquiores sunt, qui voluntatem ejus faciunt, quàm qui summâ carnis necessitudine conjunguntur. Non ergò simpliciter propinquitatem illam desidera; verum etiã viam capesse, magnoque studio confice, quæ ad hoc desiderium te perducant. Tu. Te Matrem. *Vespera de sequenti ut in 1. Vesper. Encænior.*

DIE XV. OCTOBR.

OCTAVA ENCÆNIOR.

Duplez magis.

Lectioes 1. Nocturni ut in die. Psalmi de feriâ.

IN III. NOCT.

Sermo S. Germani Arch. Constantinopolitani.

Apud Surium Die 31. Augusti.

LECTIO 4.

Gloriosa dicta sunt de te civitas Dei: nobis divinus David cecinit in Spiritu. Reverâ civitatem, de quâ gloriosa dicta sunt, aperitissimè vo-

cans magni regis. Quænam ea est? Existimo eam magnificentissimè, et sine contradictione dicere eam, quæ verè est electa, et omnibus superior, non donorum excellentiâ, et altitudine excitorum ædificiorum; sed divinarum et sublimium virtutum magnitudine et puritate omnibus antecellentem MARIAM, nullipenitibus culpæ affinem, et castissimam Deiparam. Tu. ꝑ.

LECTIO 5.

In quâ qui verè est Rex Regum, et Dominus dominantium habitavit: vel potius in quâ plenitudo totius Divinitatis habitavit corporaliter. Hæc verè gloriosa civitas. Hæc Sion, quæ percipitur intelligentiâ. Hanc, ut arbitror, David prædixit divinitus. Quod si quis ejus quoquæ domum gloriosam urbem vocaverit, non alienum à vero et honesto dixerit. Tu. ꝑ.

LECTIO 6.

Si enim ii, quorum nomina in terris celebrata sunt, diuturno tempore nominis memoriam conservant: aliorum autem quorum nec nomina quidem fas esset labiis proferre, columna, et templa et simulacra usque in hodiernum diem; et si nomine tantum, sunt tamen extensa, et ipsi tanquàm superstitales resonant in auribus simpliciorum; quid dixerit quispiam de laudatissimâ et gloriosissimâ Virgine, quæ est omni ex parte Intemerata, et nulli culpæ obnoxia? Tu. ꝑ.

IN III. NOCT.

Lectio S. Evangelii secundum Joannem.

LECTIO 7. c. 10. 22.

In illo tempore: Facta sunt Encæniam in Jerusalem, et hyems erat. Et reliqua.

Homilia D. Euthymi Monachi.

Apud Surium. Die 31. Augusti.
Hodiè templum dedicatur lauda-

tissima, et ab omni labe aliena puella, in quod quicumque ingreditur, ex desiderio et fide, et ea enuntiat quæ ab eo facta sunt graviter, et confitetur se amputaturum ea, quæ sunt molesta, statim, ò miraculum! invenit solutionem, et cordis exultationem. Hodiè templum omni ex parte benedicta, et veneranda adolescentula, et Prophetarum coronidè dictatum, in quo eriguntur paralitici, qui non vident, visum recipiunt, et qui horrore ac febrili laborant curantur. Est enim semper perennis scaturigo ejus miraculorum. Tu. ꝑ.

LECTIO 8.

Hodiè nos quoquæ, qui hæc accurrimus, ab innumerabilibus et sibi invicem succedentibus afflictionibus, et turpissimis improborum hominum maledictis liberati, et tecti sub alis ejus intersectionis, suppeditam rationem et sapientie cognitionem desuper à Filio ex eâ nato, per ipsam admittentes, cum loqui jussi fuerimus, sine impedimento clamemus ex corde, clamemus. Ne assiduas preces nostras repudies, ò Intemerata! Defende nos secundum magnam misericordiam tuam. Frange schedulam immensorum nostrorum malorum tuis, quæ nunquàm dormiunt intersectionibus, Optima. Nos ante finem concilia tuo misericordi et justo judici, Filio et Deo. Tu. ꝑ. Audite, qui.

LECTIO 9.

Commem. B. V. M. de Michelitâ. *Gumpenb. Imag.* 150.

Distat in regno Neapolitano ab urbe Amanleâ mille passibus sancta Imago Deiparæ de Michelitâ, et in templo non admodum magno magnis honoribus afficitur à circumjacente Calabriâ. Plures existimant, majores eam appellasse: Michaelis